



# ASSERTIO FRATERNITATIS ROSEÆ CRUCIS.



V M Fratres aliqui Rosea sint de Cruce? multi  
Subdubitant, Famæ credere nilq; volunt.  
Famæ, quæ totum legitur vulgata per orbem,  
Promulgans nostræ conditionis opus.  
Sed quisquis rebus mauult diffidere apertis,  
Infelix media cæcutit ille die.

En Ego, qui scribo hæc, vnus de Fratribus illis,  
Parsque Sodalitii sum quotacunque pij.  
Ordo latet noster media Germanide terra,  
Sed simul externis noscitur ille locis.  
Nuper is est auctus, quem pauci valde tenebant,  
Ingenio & magnis quinque bis arte viris.  
Quando nouis etiam septus fuit ille statutis:  
Pené reformatum vt dicere iure queas.  
Multi adeò affectant nostri commercia cætus,  
Ad quæ sed rari vix penetrare queunt.  
Deligimus tantum per tempora longa probatos,  
Corpora qui proprij libera iuris habent:  
Obstringit duris quos conditionibus ordo,  
Promissam vt seruent tempus in omne fidem.  
Pro socio esse potest, si quem delectat, amicus:  
Dummodo sit nostra dignus amicitia.  
Cœnobium incolimus, quod cum strueret Pater olim,  
Flamine de Sacro nomen habere dedit:

Ipsa quidem hoc nomen mutauit longa uerustas,  
Nostra tamen retinent quod monumenta sibi.  
Uiuimus hic una, sacra sub veste latentes,  
Pontificis nec nos urget, ut ante, iugum.  
Arboribus nemorum cum nostris cingimur aruis,  
Præterit & tacitis nobile flumen aquis.  
Nec procul à nobis urbs inclyta fama habitat,  
Omnia suppeditans, si quid habere opus est.  
Hoc fruimur summa cum libertate recessu,  
Sed neque vicinis cognita turba satis.  
Quotidie pulsant tamen ostia nostra rogantes,  
Qui larga semper stipe onerati abeunt.  
Quin etiam duris afflictis in corpore morbis,  
A nobis Medica sæpe leuantur ope;  
Vnde fauet nobis circum uicinia tota,  
Nec quisquam nostras lædere uellet opes.  
Penè locum dixi, quo nostrum confidet agmen,  
Nomen at ob causas proderet cesso graues.  
Ignari rerum ne simus, sæpe solemus  
Per mundi uarias ire, redire plagas.  
Tertia perficitur mihi nunc Apodemia, meque  
Urbs non incelebris nunc Hagena tenet.  
Hic ubi me pluuia tenuere ac humidus aer,  
Ne possem cœptam continuare uiam.  
Vix anni spacio præscriptum absoluero cursum,  
Quo mihi tot populi, totq; adeunda loca.  
Interea non una salutat Epistola Fratres,  
Arcanis referens cognita ubique notis.  
Nec peregrinantes oneri sumus atque molesti  
His quorum noctu tecta subire libet.  
Ære sed & donis benefacta rependere grati,  
Sueuimus, hospitibus sarcina chara probis.  
Maiores onus hoc uoluerunt ferre minores,  
Quos etiam sumtu sufficiente leuant:  
Legitima ex causa donec meruere quietem,  
Tranquilla in reliquum tempus ut ocia agant.

Discendi

Discendi cupidi sumus, atque ut multa sciamus,  
Venamur tacite quicquid vbiq; boni.  
Sic nihil Europâ rerum geritur prope terrâ,  
Quod non exacte Lumina nostra notent.  
Quicquid librorum profertur vbiq; nouorum,  
Ad nostras curat Bibliopola manus.  
Tractamus varias, sed honestas, jugiter artes,  
Ingenio, ore, manu desidiâ fugimus.  
Linguarum studijs quoq; multum & læpe vacamus,  
Quin externa etiam verba sonare iuuat.  
Cum Gallis, Italis, Hispanis atque Polonis  
Gentibus & loquimur per sua verba aliis.  
Naturæ in primis nos contemplatio ducit,  
Multa etiam quæ nos experiundo docet.  
Quod quisque inuenit solerti indagine mentis,  
Censuræ fratrum subijcit ille graui.  
Multa etiam studio majorum inuenta tenemus,  
Ingenij captum quæ superare putes.  
Me vetus interdum Musarum cura reuifit,  
Ociaque ut fallam, carmine verba ligo.  
Viuius ex certis inter nos legibus, alma  
Fraterno pax nos jungit amore simul.  
Omnibus est nobis eadem mens atq; voluntas,  
Fœderibus coeunt pectora nostra pijs.  
Nemo aliquid nouit, quod non mox nouerit alter,  
Vsque adeo proprium nil sibi quisq; tenet.  
Quotidie certis præsul nos conuocat horis,  
Ponereque in medium cognita quemq; iubet.  
De quibus in partem mox disceptatur vtramque,  
Vera probant cuncti, falsa; reijciunt.  
Tunc sibi quid visum, quid lectum, quid meditatam,  
Auditumve refert ordine quisq; suo.  
Singula quæ in proprium referuntur postea librum,  
Seræ ad notitiâ ut posteritatis eant.  
Destinat ad certos, opus est si quando, labores  
Quos satis instructos nouit ab arte, Pater.

Qui mox, vt iussi cum magna sedulitate,  
Iniunctum vt peragant, aggrediuntur opus.  
Sed quibus haud reliqui desunt pro parte virili,  
Consulti fratres, ore, manuq; iuuant.  
Amplaq; quin etiam patet illis Bibliotheca,  
Millia librorum quæ bene multa capit.  
Curarum moles nos nulla molesta fatigat,  
Quilibet impositum, quod sibi munus, obit.  
Nil deficit nobis, sed abunde cuncta supersunt,  
Nam bene contenti viuimus exiguo.  
Corpora curamus naturæ conuenienter,  
Inde valetudo, vitaq; longa fluit.  
Quando tamen sumtus res poscit & vsus honestos  
Seruato aspicias omnia lauta modo.  
Atq; vtinam cuncti sectantes commoda vitæ  
Communis, simili se quoque more gerant,  
Consultum melius studiis foret & pietati,  
Errorumq; minus flagitijque foret.  
Censuris etiam immerito vexamur iniquis,  
Nostraq; carpuntur, quæ bene dicta, male.  
Plurima de nobis falsa hinc sparguntur & inde,  
Quæ scimus, tacitis perferimusq; animis.  
Qui nuper Magicas nos diffamauit ob artes,  
Errat & est nostræ nescius ille viæ.  
Non Ego diffiteor, patramus sæpe stupenda,  
Naturæ tacitis cuncta sed illa modis.  
Qualia chemiæ sunt quæ præstamus ab arte;  
Exercet nostros quotidie illa focos.  
Quæ si quis Satanâ fieri putat astipulante,  
Hei mihi quam totâ fallitur ille viâ!  
Hæc etenim nobis est cura potissima, puris  
Mentibus & manibus rite vacante Deo.  
Vita agitur nobis Diuino plena timore,  
Et simul in cunctos officiosa homines,  
Quid vis? Collegium nostrum est Academia quædam,  
Doctrinæ studijs cum pietate sacra,

Tempus

Tempus erit, nostri quo sentiet ordinis usum  
Qua populus toto spargitur orbe Dei.  
Grandia molimur, sua quæ mirabitur ætas,  
Quæque seipsa probent utilitate suâ.  
Haud ventres sumus, aut glebæ telluris inertes,  
Ocia sed multo nostra labore vigent.  
Et labor is noster communem spectat ad usum,  
Et seruit laudi maxime Christe tuæ.  
At neq; dissimulo, quod fratrum nomine quædam  
Vulgantur, nobis scripta probata minus,  
Quæ facile agnoscer, nostræ quia dissona famæ,  
Attentâ quisquis talia mente legit.  
Forfitan & Fratrem se quis de nomine fingit,  
Cum tamen à nostro sit procul ille choro.  
Qualis deceptor pridem per Norica rura,  
Sparserat ad populum plurima vana rudem.  
Donec conuictus quod fur, quod manticulator,  
De cruce suspensus triste pependit onus:  
Qualis item ardelio Augustanâ prensus in vrbe,  
Verberibus cæsus perdidit auriculas.  
Adde quod & Roseâ malè vulgus de cruce dicit,  
Qui sumus à primo secta vocanda Patre.  
Primus at ille Pater, quo dictus nomine noster,  
Consulto tacitum prodere nolimus.  
Non bene de nobis, illi quicunq; merentur  
Nomine qui nostro somnia ficta serunt.  
Alueolos nostros turbare omittite fuci.  
Prodendi, iudicio non sine labe, breui.  
Cautè igitur credant, de nobis si qua feruntur,  
Qui nolit falli, nec sibi verba dari.  
Et quis enim nescit? Fraudum sunt omnia plena,  
Multus & impostor nectit vbique dolos.  
Insidias etiam tendit Iesuitica turba,  
Sedibus & nostris nocte, dieque inhiat.  
Ut fauces horum fugiamus & ora luporum  
Multa iubet cautos dissimulare dies.

Sancte Deus nostrum conserua & protege cætum,  
Si te rite colit, si tibi grata facit.  
Et prohibe sæuos furiati pectoris hostes,  
Ne possint vlla parte nocere probis.  
Orbe quidem cupimus passim innotescere toto,  
Quod fieri optamus tempore posse breui.  
Sed magna impediunt hoc nostrum obstacula votum,  
Interea ignotos viuere consilium est.  
Sic tamen, vt multos hinc inde paremus amicos,  
Nostra quibus virtus nota sit atque fides.  
Vnde viros doctos ignoto accedimus ore,  
Sæpe etiam affatur littera nostra bonos.  
Norunt Philosophi, Medici, Sacramque professi  
Scripturam, Chymicas quiq; tuentur opes.  
Quorum proferre in vulgus si nomina vellem,  
Vah mihi quam grandis cresceret inde liber!  
Inunc & socios Roseæ Crucis inficiare,  
Conuinci indicio ni grauiore velis.  
Sed quid Ego? vetitum ne quid committere dicar,  
Hic pono calamum, de tabulaque manum.

*B. M. I. ex Fratibus R. C. minimus, in tertia A-  
podemia sua, perscribebat Hagenoæ, vbi per ali-  
quot dies propter continuas pluuias subsistendum  
fuit, 22. Septembris, Anno Christi 1614.*

